

absolute concessa fuerit. Saepe ad stylum curiae, consuetudinem et probatos auctores recurrendum erit. Regulam hanc tradit Suarez (de Leg. l. 6. c. 20. n. 18) : Cessante causa motiva, cessat dispensatio quae non ita datur ut statim totum vinculum legis auferat, sed potius ita ut illud successive auferat prout successive ipsa lex obligaverit. Sic desinit dispensatio a jejunio quadragesimali data ob morbum, quando hic penitus cessavit. Idem dicendum de dispensatione indefinite data in abstinentia, recitatione breviarii et similibus. Nam in tali materia nequit justa esse causa dispensationis nisi quatenus habet *tractum successivum* cum ipsa lege. — Absolute autem et independenter a duratione causae motivae datur dispensatio "quae statim *tota simul* conceditur et habet quasi indivisibilem effectum, tollendo inhabilitatem, impedimentum aut votum." (Suar. ib.) Ita manet dispensatio in impedimento consanguinitatis data et ab executore exsecutioni commissa ad legitimandam prolem e commercio incestuoso susceptam, licet infans moriatur antequam dispensati matrimonio uniantur, neque ulla alia causa motiva allegata fuerit. Pariter is qui ob paupertatem dispensatus est a constituendo titulo patrimonii quo sacros ordines suscipiat, manet ab hac obligatione solitus, etiamsi ante ordinum suspicionem fiat dives.

125. II. Revocatio dispensationis facta ab ipso legislatore est semper valida quia eamdem obligationem quam abstulit, potest semper, saltem valide, iterum imponere. Excipe tamen casum quo obstaret aliud vinculum jam usū dispensationis contractum, ex. gr. vinculum matrimonii legitime initi post sublatum impedimentum. Nec vota, semel per dispensationem sublata, per Superioris voluntatem reviviscere possunt.

Praelatus inferior qui, potestate vel ordinaria vel delegata, in lege Superioris dispensavit, ex. gr. episcopus in lege abstinentiae per Quadragesimam, potest illam dispensationem ex justa causa revocare; si tamen justa causa decesset, vel si dispensatio semel absolute concessa esset, puta ad tollendam irregularitatem, invalide revocaret. (S. Alph. n. 197)

III. Per renuntiationem a dispensato factam, effectu nondum secuto, cessat dispensatio, sed tantum quando renuntiatio a Superiore acceptata est. Si quis enim a legi vinculo solutus est, nonnisi Superioris auctoritate iterum eodem ligari potest. Per se autem licita est talis renuntiatio nisi redundet in damnum alterius vel communitatis, in cuius favorem dispensatio concessa sit: nam per se unusquisque favoribus sibi datis renuntiare potest.

Nemo autem censendus est renuntiasse dispensationi eo quod per longum tempus, ex. gr. decennium, ea usus non est vel actum contrarium posuit, puta si dispensatus ad matrimonium ineundum cum Bertha, duxit Titiam. (S. Alph. n. 198)

Morte dispensantis non cessat dispensatio absolute concessa, quia gratia, etiamsi nondum ad ejus exsecutionem processum sit, non perimitur morte concedentis (c. *Si super*, de Off. et potest. judicis delegati, in 6^o). Idem dicendum si concessa est *donec revocetur* vel *ad arbitrium Sedis Apostolicae vel episcopi*. Cessat autem si Superior dispensaverit *donec ei placuerit* vel *ad suum arbitrium*. (S. Alph. n. 197) Attamen etiam pro his posterioribus formulis potius standum est consuetudini, qua interdum prioribus aequiparantur, quam nativae verborum significationi. Cfr. Vol. II. n. 327.

CAPUT V.

DE CESSATIONE LEGIS.

126. Triplici ratione cessare potest lex ecclesiastica (nam de hac tantum directe agimus) : abrogatione, desuetudine, cessatione finis ob quem lata est.

I. Abrogatio legis in hoc consistit quod totius legis obligatio per ipsum legislatorem ejusve successorem aut superiorum tollitur. Hoc fieri potest vel simpliciter declarando legem jam vi obligandi carere, vel ferendo novam legem quae legi praeeexistente sit *prorsus contraria*. Ita Romanus Pontifex abrogare potest omnes leges mere ecclesiasticas, etiam in Concilio generali latas. Cfr. n. 87 seqq.

Abrogationi affinis est *derogatio* qua Superior tantum unius alteriusve articuli obligationem tollit, reliqua lege robur suum servante.

127. II. Desuetudo, seu consuetudo contraria legi, ejus obligationem tollere potest; sed necesse est ut gaudeat debitum condicionibus, quae ad quattuor capita reduci possunt: ad communitatem, ad legislatorem, ad consuetudinem ipsam, ad tempus quo vigere debet. Cfr. praesertim Aichner, Comp. Jur. eccl. § 12.

1^o Ex parte *communitatis* requiritur :

a) Ut consuetudo vigeat in communitate quae saltem sufficiens sit ut ei vera lex, non tantum simplex praecepsum, imponatur. Hinc legem abolere potest consuetudo contraria vigens in aliqua dioecesi, in corporatione ecclesiastica, in peculiari hominum classe, ex. gr. clericorum vel judicium; inefficax vero est consuetudo privatae familie vel personae. Cfr. Reiffenst. in l. 1. Decr. t. 4. n. 110 seqq.

b) Ut consuetudo vigeat in majore communitatis parte: siquidem haec sola communitatem repraesentat.

c) Ut actus sint *frequentati*, quamvis numerus actuum requisitus prudenterum judicio relinquendus sit; — *publici*, ita ut usus ex iis demonstrari possit; — *voluntarii*, eo sensu quod populus cognoscat legem et contra eam praescribere velit. Non desunt tamen AA. qui existimant valere consuetudinem diuturnam etiamsi populus legem prorsus ignorasset. A fortiori valebit si populus, bona fide, existimavit legem ad se non pertinere vel ad quosdam casus revera inclusos non extendi.

2º Ex parte *legislatoris*, requiritur et sufficiet consensus saltem *legalis* seu modo generali legibus expressus. Talem autem consensum in Jure ecclesiastico dari omnibus consuetudinibus rationabilibus et legitime praescriptis, eruitur ex. gr. e cap. fin. de Consuet. in quo Gregorius IX scribit: "Licit etiam longaevae consuetudinis non sit vilis auctoritas, non est tamen usque adeo valitura ut vel juri positivo debeat praejudicium generare, nisi fuerit rationabilis et legitime sit praescripta."

Quodsi legislator novit aliquam consuetudinem contrariam legi suea vigere et silet, quamvis commode contradicere possit, probabilius statim legis obligatio cessat. (Reiffenst. l. c. n. 93) Cfr. nn. 10 et 104.

3º Ex parte ipsius *consuetudinis*, requiritur ut sit *rationabilis*. Hanc condicionem ita explicat Reiffenst. (l. c. n. 34): "Ea consuetudo, generaliter loquendo, est irrationalis quae vel juri naturali aut divino adversatur, vel a Jure canonico reprobatur, vel peccandi licentiam aut occasionem praebet, vel alia ratione communi utilitati perniciosa est; quae vero in nullo horum deficit, censemur rationabilis."

De clausulis autem quae Constitutionibus Pontificiis addi solent et quibus prima fronte videri possint reprobari in perpetuum omnes consuetudines contrariae, haec breviter notasse juvabit:

a) Clausula: *Nulla obstante consuetudine*, tollit consuetudines praesentes, non futuras.

b) Clausula: *Nolumus contra hanc legem consuetudinem valere vel exclusa consuetudine contraria in futurum*, non impedit quominus contra tales legem valeat consuetudo immemorialis vel, ut alii opinantur (ex. gr. Suarez, l. 7. de Leg. c. 9. n. 21), etiam tempore ordinario vigens. Rationem optime explicat Aichner (op. cit. § 17): "Omnes leges disciplinares, sive facilius, sive difficilior, veluti natura sua rationabiles consuetudines admittunt. At vero clausula legibus apponi solita *exclusa quavis consuetudine contraria in futurum* pariter non est nisi lex disciplinaris, quae *natura sua* admittere potest consuetudinem contraria... Proinde valor et finis hujus clausulae, si apponatur, non aliud esse potest, quam difficiliorem reddendi consuetudinem novae legi contraria, ac vigilantiam peculiarem auctoritatis ecclesiasticae excitandi, ne consuetudo contraria invalescat."

c) Clausula: *Consuetudinem contrariam, quae potius corruptela*

dicenda est, penitus reprobamus et similes, absolute impediunt ne valeat consuetudo contraria, quippe quae ab ipso legislatore irrationalis esse declaratur. Nihilominus si, mutatis adjunctis, tollitur a consuetudine ratio ob quam a legislatore reprobata est (quod cerebro contingere potest), jam poterit contra legem, tali clausula munitam, praevalere. (Reiffenst. l. c. n. 45 seqq.)

4º *Tempus* requisitum et sufficiens ad legem ecclesiasticam per contrarium consuetudinem abrogandam universe statui potest decennium. Ita probabilius Reiffenst. (l. c. n. 105) cum multis DD. contra alios qui longius tempus requirunt vel nullum tempus determinari posse putant. Hic tamen supponitur nullatenus agi de praescribendo jure alieno.

128. III. Cessatio finis adaequati in aliqua communitate tollit legis obligationem. Hoc autem ita intellegendum ut finis legis cesseret *totaliter*: nam si e duobus finibus ob quos lata est lex, unus subsistit, non cessat finis adaequatus, quippe qui utrumque complectitur; — *universaliter*, seu pro maiore communitatis parte; — *constanter*: nam si brevi tantum tempore cessaret, obligatio tantum ad tempus suspenderetur. Ratio asserti est quod nequit obligare lex inutilis. (n. 83)

Quodsi finis legis cessat tantum in casu vel persona particulari, convenit inter AA. cessare legis obligationem, quando finis cessat *contrarie*, i. e. quando observatio legis foret nociva vel cum nimia difficultate conjuncta (n. 114) vel prorsus inutilis. Ideo liceret librum prohibitum legere absque facultate, si ea forent adjuncta ut nec facultatem petere, nec lectionem absque impotentia defendendae religionis catholicae omittere possit. Sic etiam non teneris denuntiare sectae occultae coryphaeum ubi publice tamquam coryphaeus notus est. (Vol. II. n. 596) Neque ipsa lex naturalis, ex. gr. correptionis fraternae obligat, ubi constat finem illius nullatenus attingi posse. (n. 219)

Verum ubi finis legis cessat tantum *negative*, i. e. si lex neque prorsus inutilis, neque moraliter impossibilis evadit, sed tantum non obtinetur in casu vel persona particulari finis a legislatore intentus, manet obligatio legis. Nam, ut leges positivae, praesertim maxime usuales, efficaciter vigere pergent, moraliter necessarium est ut omnes eisdem adstringantur: secus plurimi, recte vel perperam opinati finem legis pro ipsis cessare, a legis observatione recederent aliosque multos post se traherent. Quare legislator ecclesiasticus, perinde ac civilis, regulariter censendus est leges suas urgere etiam pro iis casibus vel personis in quibus tantum negative cessant. (La Croix, de Leg. n. 868) Sic ex ipsa praxi manifestum est non solvi a lege abstinentiae eum qui piscibus magis quam carne delectetur. Idem a fortiori dicendum est de legibus quae fundentur in periculo universalis, puta persionis e lectione

librorum pravorum secuturae, invaliditatis matrimonii ex omissis proclamationibus, etc. Nam, si unicuique parocho vel fideli liceret hujusmodi legum observantiam omittere quotiescumque censerent ex hac omissione nullum sequi persionis, nullitatis, etc. periculum, finis legis attingi non posset. Plurimi enim optima fide crebro existimarent moles humanae socordiae cautiones non esse necessarias: ac proinde multa matrimonia invalide contraherentur, plurimi (ut lugenda experientia constat) librorum prohibitorum, quos innocuos putarent, lectione fidem moresve amitterent, etc. (Ball. P. n. 376 seqq.)

Quidam AA., ut Tamburini (in Dec. l. 2. c. 1. § 38), saltem probabile censem: cessare legem quotiescumque etiam mere negative cessat ejus finis in casu particulari. Nituntur paritate cum cessatione legis ubi pro communitate cessat adaequata ejusdem finis: fit enim inutilis saltem in illo casu vel particulari persona. Sed, ut supra dictum est, falso assertur inutile esse ad bonum commune ut unusquisque legem servet, etiam ubi pro eo cessat finis ejus adaequatus: siquidem haec universalis obligatio ad legis efficaciam vix non necessaria est. De hac opinione scribit S. Alph. (de Leg. n. 199): "Si aliquando casus accideret quod aliquis omnino certus et securus esset abesse omne hallucinationis periculum, tunc non auderem secundam sententiam improbare: sed hujusmodi casus rarissime poterit evenire." Sed haec qualisunque probabilitas vix non mere speculativa est, tum quia hypothesis qua nititur rarissima dicitur, tum quia praecipua ejus consequentia quoad libros prohibitos passim ab AA. et ab ipso S. Alph. (l. c.) rejicitur. (1)

129. SCHOLION DE CONSuetudine. Consuetudine quae dicitur *praeter legem* etiam nova obligatio introduci potest. Ad hoc autem

(1) Non censemus tamen hanc consequentiam, admissa probabilitate hujus sententiae, logice repudiari. Rationes affert S. Alph. (l. c.): 1º Non cessare omnino periculum in lectione librorum pravorum. Verum saepe de absentia periculi pro certa persona in quibusdam libris legendis experientia omnino constat; immo licentia non tollit periculum, sed datur iis pro quibus deesse supponitur. — 2º Non cessat finis adaequatus, cum finis sit etiam ut servetur oboedientia Ecclesiae in materia tam periculosa et ne detur ansa haereticis vel malis scriptoribus perniciosa typis demandandi. Sed gratis asseritur Ecclesiam intendisse *tamquam finem* ut sibi oboedientia praestetur in hac re. Haec enim oboedientia in hac lege, perinde atque in ceteris omnibus, non est nisi medium quo finis ab Ecclesia intentus obtineatur. Reapte Ecclesia in prohibitione librorum intendit "ut homines, quoad in se esset, pravorum librorum lectione, hoc est pessimo veneno, prohiberet, ex quo fiat "ut integritas fidei morumque christianorum ne quid detrimenti capiat." (Leonis XIII Const. Officiorum ac munierum) Insuper saepe nulla dabitur ansa edendi libros pravos, ut puta si jam penes me habeam librum haereses propugnantem.

requiruntur condiciones similes illis quae necessariae sunt ut consuetudo legi contraria obligationem tollere possit. Nempe oportet ut major pars communis diurno tempore (saltem per decennium) actus aliquos tamquam obligatorios frequentaverit. Quodsi omnes illae condiciones adsunt, consentiunt Canonistae consuetudinem hujusmodi, in lege ecclesiastica, per legalem R. P. consensum vim legis obtinere. Ita communiter admittitur introductum esse impedimentum dirimens disparitatis cultus. At si populus ex mero errore actus aliquos tamquam obligatorios exerceret, ex. gr. Missam aliquo die audiret, eo quod perperam existimaret eam esse praeeptam, nulla inde obligatio induceretur. Ceterum haec potius juvant ad originem aliquarum legum hodie vigen- tium explicandam quam ad novas introducendas: nam raro constabit de animo communis aliquam obligationem sibi imponere volentis quam tamen aliunde abesse norit.

Si lex quaedam consuetudine abrogata est, postea autem iterum observari coepit, plures AA. ut Suar. (de Leg. l. 4, c. 16. n. 13) censem legem hanc statim iterum obligare, quia suspensa est tantum donec communis in sua consuetudine vult persistere, nec jure suo cedere incipit. Alii, ut Schmalzgr. (in l. 1. Decr. t. 4. n. 38), opinantur non renasci obligationem, utpote extinctam, antequam nova consuetudo legitime praescripta sit, nempe per decennium. Quidam, ut Reiffenst. (in h.t. n. 196 seqq.), utramque sententiam, nihil definientes, proponunt. In foro igitur interno nulla obligatio urgenda est antequam decennium elapsum sit.

§ 1. DE LEGE NATURALI.

130. DEFINITIO. Lex naturalis est ordinatio rationis per Sapientiam divinam facta et per lumen rationis a Deo omnibus manifestata. (Schmalzgr. in Prooem. n. 54) Manifestatio haec se habet promulgationis instar et ad perfectam naturam legis dicit eam quae dici solet *lex aeterna*. Haec enim modo generalissimo sumpta "nihil aliud est quam ratio divinae Sapientiae secundum quod est directiva omnium actuum et motionum creaturarum in suos fines." (S. Th. 1. 2. q. 93. a. 1) Ut autem speciatim ad creaturas rationales spectat, est actus divini